

- 1 Depoe eos proprietate Mathias Creigius.  
 2 Capita Religiosæ Xenæ Grae Joach: Camerang.  
 3 Laus Xpi resurgentis Christopho Pelargg.  
 4 Armon Habraim. Barth. Adamann.  
 5 Carmen Hab: Gidem.  
 6 Almg III Carmine. Pancratig Crigens.  
 7 Prophetæ Jonas Carmine. Daniel Saxo.  
 8 Ecloga de Xpo triumphante. Barth: Bylovis.  
 9 ~~Canonis Monach~~ <sup>Finis spiritus in p[ro]phetis in Cruce.</sup> ~~trans~~ Hildesheim in Cruce.  
 10 Davidis Tropæum Joh: de Cotteritz.  
 11 Davidis triumphus Jan: Henricus Scrotens de Güstrow.  
 12 de Mundi termino Joh: Polidorg.  
 13 Ecloga in diem Martini. Abraham: Decelis.  
 14 De Partu Aovitatis Dethlevis Meyers.  
 15 Bernardus de gentiâ Mundi Carmine.  
 16 Joan: Fraxinge Melos. Spangenberg Wefsting.  
 17 Concordia veriva. Albertus Olearig.  
 18 Carminum Joach: Bilscey Liber 1.  
 19 Gregorij Arabici poemata.  
 20 Gnosticon Joh: Staibje.  
 21 Oratio Medua Carmine Laur: Homang.  
 22 Alberti bovi Panthelias.  
 23 De Incommodis Senectutis. Erasm: Rotterdam.

Q 3. 105 (1-66)

ILLVSTRISSIMO  
 ET INCLYTO PRINCIPI, AC DOMINO, DN. IOHANNI  
 Georgio, Sacri Romani imperij Archicamerario  
 & Electori, Marchioni Brandenburgensi, Prussiae,  
 Sedinensium Pomeranorum, Cassubiorum,  
 Vandalorum, & Crosnae Elystorum  
 Duci, Burggrauio Norico, &  
 Rugia Principi: Domi-  
 no suo clementis-  
 simo.

ECLOGA  
 DE GLORIOSO CHRISTI RE-  
 SURGENTIS TRIUMPHO.

PVBLICE  
*In Illustri Marchionum Academia 13. Ca-  
 lend. Mayj anni currentis 95.*

decantata

à

BARTHOLOMAEO BYLOVIO STEN-  
 daliensi Palæomarchico, optimarum Artium  
 & Philosophiæ Baccalaureo, & Theo-  
 logiæ Studioſo,

Exscripta  
 FRANCOVRTI  
 AD VIADRV M TYPIS VOL-  
 tzianis, Anno Christi M. D. xcvi.

sein mußte leben/ und niemand folgen sollen. Derhalten genur  
 sich die Straffe ober/ Deuschland nahe ist/ sie gefchehe nun durch die Zur-

7  
8



# IN ECLOGAM PASCHA-

LEM DN. BARTHOLOMAEI BY-  
louij Philosophiæ Baccal'arej.

**M**Ors Morte interiſt nocens ſalubri:  
Vitæ vita parens necauit orcum.  
Saltans gaudia mille fudit imis  
Tellus viſceribus; nitensq; cœli  
Agmen plauſit ouans. Fauete voce  
Muſæ, fronde nemus, roſeta flore:  
Aut in perpetuum ſilete Muſæ,  
Occultate comas roſeta, ſyluæ.  
Poſcit carmina lux memor trophæi:  
Poſcit gaudia lux memor triumphi.  
Ne tu Muſa Pelasga tolle priſcos  
Heroës animo & manu potentes:  
Nec vos Auſoniꝝ trophæa vates  
Inſtaurate homini diu ſepulto:  
Hic vnus reliquos triumphos omnes  
Excellit, ſuperat, domat triumphos;  
Quo mundum, Satanam, ſtygis paludem  
Victrici domuit manu Redemptor.  
At tu qui celebras Ducis triumphum  
A quo vita fluit, ſaluſq; mundi,  
Canta BARTHOLOMÆE: te beabit  
Princeps munere; ſacra Muſa laude.

*M. Calebus Trygophorus  
Logices Profeſſor P.*

IL-

ILLVSTRISSIMO PRIN-  
CIPi AC DOMINO DN. IOHAN.

ni Georgio, Sacri Romani imperij Archica-  
merario & Electori, Marchioni Brandes-  
burgico &c. Domino suo cle-  
mentissimo,

S. D.



*Nobile Marchionum prisco de sanguine ger-  
men,*

*Inclite Dux, clarij firma columna gre-  
gis.*

*Tempore quis nostro Musas dignatur ho-  
nore,*

*Obsequioq; illas commodiore fouet?*

*Cum fidibus citharisq; suis à plebe fugantur,*

*Pessima qua sequitur, dum meliora probat.*

*Luget Apollo, cadit nunc omnis gloria vatum,*

*Exulat, & bello victa Camena latet.*

*Nuper enim Phœbus propter Pimpleidas undas,*

*Incepit querula sic resonare lyra:*

*Nos pudeat, pudeat, vatum qui nomen habem?*

*Vilius in terris nil quibus esse potest.*

*Cura Ducum stetimus qui magnorumq; virorum,*

*Quarimus en vitam qua tue amur ope.*

*Sed licet innumeros jactentur vela per æstus,*

*Crudaq; sit prorsus Musa chelysque viris:*

*Ipse tamen Princeps generoso stemmate nate,*

*Diligis Aonidum carmina blanda chori,*

*Ipse viros multis doctrina dotibus auctos*

*Sumptibus enutris, templa scholasq; iuuas.*

A a

76



Te duce dogma malum de nostris exulat oris,  
Te duce vera fides floret, & alma quies.  
Accipias igitur Dux illustrissime vultu  
Hac placido Musa carmina pauca mea,  
Aspiransq; meis feliciter annue captis,  
Nec tenuis vatis vilia sperne metra,  
Plura canam, meliora canam, melioribus annis,  
Crescentis parient tempora fila lyrae,  
In libris vivit virtus animosa potentum,  
Laudibus & veris amplificata micat.  
Reges atq; duces, post ultima fata, perenne  
Solo Musarum munere nomen habent.  
Ne miser abjiciam Musas & carmina, largus  
MARCHIO DIVE faue, munificq; juua,  
His tibi pro meritis mea serviet vsq; Thalia,  
Et Mecanatem te canet esse suum.  
Vive Pater Patria, Tithonia secula vive,  
JOVA tibi sacro numine capta regat.

T. Celsitudini  
addictiss.

Bartholomaeus Bylovius B.



DE

E C L O G A  
DE GLORIOSO CHRISTI  
RESVRGENTIS TRIVMPHO.

MENALCAS, TITYRVS PASTOR,  
RES, ET SARNIS Venator.



Orte sua exanguem Myrthi redolentis in  
    umbram  
Compulerat medio sub Sole armenta Me-  
    nalcas,  
Suaueq; compacta modulatur arundine  
    carmen,

Blanda cicens secum tacita sic murmur a voce:  
Ite nouis hilares sub solibus ite iuuenta,  
Facundi rores humectant gramina & herbas,  
Detondete mea morsu nunc pabula capra,  
Carpite fecundas salices, cythisumq; thymumq;  
Io jo quam rutilus puro nitet aethere splendor,  
Nulla diem inuoluit nubes, silet imbricus Auster,  
Leniter Eois Vultur nus spirat ab oris.  
Ferre sunt, quæ non istud præcordia cœlum  
Exhilarat, quæ non rerum ista oblectet imago.  
Florida quin tellus gemmantes picta per herbas,  
Profert vere nouo distincta coloribus arua,  
Assumuntq; nouum gemmantia prata vigorem,  
Cuncta tulit rerum genitrix quæ germina tellus,  
Atisonante hodiè testantur gaudia plausu.  
Quin volucres patulis residentes dulcia ramis  
Carmina per varios edunt resonantia cantus.  
Ut videt hunc stantem veniens à manibus urbis  
Tityrus, en illi placidis se passibus offert,  
Pastores ambo, quæis flamma simplicis agmen



Nuncia de Christi tulerat jucunda triumpho.  
Tum senior juvenem dictis affatur amicus,  
Et recitat, quaecumq; tenet jucunda Menalcas.

### MENALCAS.

Tityre, Cor micat, & trepidis praecordia fibris  
Exultant, agitantq; meam nova gaudia mentem,  
Lumina namq; (quod est mirum) videre sacram  
Nostra Dei sobolem nostras redisse sub oras,  
Quem modo conciderat moles onerosa sepulchri,  
Tityre praeterea manet alta mente repostum,  
Exhibuere fidem, quod nunc oracula vatum,  
O nos felices multum, nimiumq; beatos,  
Quis Rex caelorum tanto dignatus honore est,  
Prima per aligerum legionem nuncia nobis  
Quod rutilo intulerit recavi de culmine cali.  
Nam Christum propria vi surrexisse sepulchro,  
Aliger est juvenis testatus amictibus albis,  
In tumulo jussus qui tunc vigilare sedebat.  
Magdalis est testis, cui Iesus imagine fortis  
Obvius agricola fit, phabus quando rubescit.  
Turbaq; faminea est testis, quae verba loquentis  
Audiere, pedes quoq; qui tetigere sacros.  
Spectat eum Petrus, cernunt Emmauni petentes,  
Hunc socij dicta viderunt vespere pace.  
Vidimus hic Christum, laeti qui dira parentis  
Crimina primaei, nec non delicta nepotum  
Lubrica profuso preciosi sanguinis imbre  
Diluit, & sedes picti rejerant Olympi.  
Quisquis erit, quicumq; feret sua lumina nobis  
Obviam, rem totam plaudens huic ordine pandam,  
Ut cito fama volet patulum diffusa per orbem,

Ad



*Adueniant longè gentes, quà Phæbus Eois  
Portat equis roseam celeranti tramite lucem.  
Quaſq; ſub occiduas Hyperione natus Apollo,  
Distinguens certo currentia tempora motu,  
Fertur aquas; claris quos tellus Afra triumphis  
Dives habet; ſimul & ſtudijs aſperrima belli  
Gens gelidis flabris, Boreaq; fragore recuſſa;  
Accelerent populi, mutant quibus ora calores;  
Quaſq; alit inferior ſpaciſi machina mundi;  
Huc inquam veniant, Chriſto & gratentur ovantes,  
Illius in laudes quoq; lingua plectra reſoluant.*

### TITYRUS.

*Nuncia lata canis, quibus haud meliora canantur,  
Dulcior his oculis nobis percare Menalca,  
Debetur laus magna Deo, tam lata tulerunt  
Secula quòd nos, hinc nos tempora ſera nepotum  
Felices dicent, omniq; ex parte beatos,  
Martis equos Bellona regens jam bellica tela  
Amittet, fiet pax, & compagibus arctis,  
Ferro, claudentur porta belli, atq; per orbem  
Tempora naſcentur mortalibus aurea rebus,  
Paſtor ab inſidijs loca per viridantia tutus,  
Velligeras deducet oves, & carmen amœnum  
Sublimes Muſa facili reſonabit in auras,  
Luxuriare greges ibi dum cernetq; ſalire.  
Ruſticus incurvus tellurem ſinde aratro,  
Tempore quam belli non cultam quiſq; relinquet.  
Gryphes equis iungentur, & haud armenta leones  
Terrebunt, oltrò fugiet lupus horiſer agnos.  
Cum canibus pauidi venient ad pocula cerui.  
Perſicret haud furias ratis amplius hoſpita pontis*

*Nam*



Nam quævis tellus longo feret omnia fœtu.  
 Sedulus haud agrum duro renouabit arator  
 Vomere, sed gravidis ultrò canebit aristas  
 Campus; quin reddet quoq; centupla lucra colono  
 Fundus; & ingentem teret ærea farris acervum.  
 Post nitidas tellus fruges, arbustaq; læta  
 Sponte sua, nullog; hominum cogente labore  
 Proferet, ac humiles sudabunt mella genista,  
 Dumofiq; ferent fragrantia lilia vepres.  
 Pro lolio & spinis læta rosa fundet odorem  
 Florida; juniperis sudabit cerea dona;  
 Aurea mala ferent coryli, qui pondere, ramis,  
 Curuantur, simulatq; dabit rubus asper amomum.  
 Undiq; rorabunt mira dulcedine montes,  
 Melliflua & dulci manabunt nectare valles:  
 Undiq; felici stillabunt omnia rore.  
 Et posthac pecori contagia nulla nocebunt.  
 Quin pietas, ac alma fides moderabitur omnes  
 Terrarum populos, simul & quos secula videbunt  
 Postera, gaudebunt hac religione nepotes.  
 Hic pernix sub fronde sonos venator ad auras  
 Iætabit, lætus conjuncta vitibus ulmi,  
 Dulce canet passim pastorum fistula carmen,  
 Læta repercussis resonabit rupibus Echo.

### MENALCAS.

Est mihi parua domi septem compacta cicutis  
 Fistula, quam Pastor nuper mihi tradidit Afgon,  
 Sæpius illa mihi toties stridebit in auras  
 Carmine, Sol quoties præbet sua lumina mundo,  
 Montiuagas pecudes læto dum gramine pasco.  
 Non agreste canam pro more, sed arte canora  
 Compacta

*Compacta doctum modulabor arundine carmen,  
 Victorem omne nemus Christum resonare docebo,  
 Donec erit vegetus super hoc in corpore sanguis.  
 Namq; erit ille mihi semper Deus, una per illum  
 Expectanda salus, homines qui è tristibus umbris  
 Eripuit cunctos, sociosq; reduxit ab orco.  
 Ante suos linquent refluentia flumina pisces,  
 Ante faces cali rutulanti luce carebunt,  
 Et decerunt syluis frondes & frontibus humor,  
 Quà n nostro illius de corde recedat imago,  
 Quàm nostro illius cedant de pectore verba,  
 Et vigilans nostris emigret cura medullis.  
 Sed Phæbus mediam cursu nunc attigit horam,  
 Ad fontem in densa cur non requiescimus umbra,  
 Arbor ubi reuirens umbracula prebet opaca,  
 Atq; comis prohibet densis Hyperionis ignes?*

TITYRVS.

*Aspice, quàm latos ramos hic explicat alta  
 Fraxinus, arguti qua consita margine riui.  
 Lurida tum patulos hic velant gramina colles;  
 Aspice, quàm varij flores, quàm pulcra virenti  
 Cespite ridet humus, molle est vtring; sedile.  
 Si placet, in dulci corpus refouebimus umbra,  
 Hic etiam viridi numeris ludemus in herba.*

MENALCAS.

*Obuius ecce venit, is luc egressus apertis,  
 Exuperatq; jugum, syluaq; euacuit opaca,  
 SARNIS, & ardenti transmittit ruscule cursu,  
 Venator Sarnis, jaculo leuibutq; sagittis  
 Præceps, venatu inuigilat syluasq; fatigat,*

B

Noctes



Noctes atq; dies nemorum non pœnitit illum,  
Tela sonant collo, valida venabula dextra  
Bajulat, hunc vigilum comitat ur odora canum vis  
Hortatur celeres, pressis in retia ceruis,  
Per juga summa canes, funesto & cuspide figit  
Lustra feras alias passim per opaca vagantes.  
Quando sera rubens accendit lumina vesper,  
Phabus & exacta perfunctus munere lucis  
Oceano abdit equos, solunt jejunia glandes,  
Sufficiuntq; caua peramica cubilia valles.  
Sed properat, dictis hunc compellabimus ante,  
O quibus huc properas è syluis, optime Sarni.

### SARNIS.

Nonne canes vos fortè meos vidistis in antri is  
Hirsutum subitis prauertere cursibus aprum,  
Agmina vel timidos nemora inter frondea ceruos  
Pulverulenta fuga, vel subvo terгоре damas,  
Omniuorumve sequi villis horrentibus vrsum.  
Insignes bonitate canes, nullisq; secundi,  
Quotquo: vestrum etiam tui aut ur ouile Molosse.

### TITYRUS.

Non vllus canis est vicinis visus in oris,  
Nec fera prerapidos tulit hac per pradia passus.  
Sed tamen hic mecum gelida requiesce sub umbra,  
Quà riuos riuos campos, & roscida lymphis  
Blandisonis secat arua sonans de volvitur undis.  
Fronde super viridi, saturas ad flumina capras  
Huc Melibaus aget picti per iugera campi,  
Edita namq; tibi referam miracula Sarni.

SAR-

SARNIS.

*Hoc mihi nequaquam concedit inania tempus  
Ocia, sed rursus vastos indagine saltus  
Cingere fert animus, donec Sol luce peracta  
Pronus ad Oceanum tendat, noctemq; reducat.*

MENALCÆS.

*Cur a deo properas, expecta Sarni parumper,  
Nam cantabo tibi non somnia inania, verùm  
Gaudia perpetuum lucis mansura per aevum,  
Qua nobis sacris his sunt enata diebus.  
Ecce tui redeunt nemorosa è valle Moloſſi,  
Expansisq; rigant en ora immania linguis,  
Aut aper elapsus canibus, vel territa flexis  
Cornibus umbrosa dependet ab arbore dama,  
Sub pedibus linquens non amplius ore latrantes,*

SARNIS.

*Quid faciam, fas est tibi me parere Menalca,  
Nec procul à nobis vestigia Tityre flectas,  
Sis mecum propius, lateriq; sodalis adhære.*

TITYRVS.

*Perge, sequar tua mox vestigia, candidè Sarni.*

SARNIS.

*Hic ramo plenis stridentia tela pharetris  
Afigam, & patulum sinuosis flexibus arcum,  
Dicite, sylvoſa quoniam successimus umbrae.*

B 2

M. B.



## MENALCAS.

Nonne tuas forsan fama ingens perculit aures,  
Quod jam pascha sacrum nostris illuxerit oris,  
Ipsa Dei soboles tūmulo quo surgeret imo.

## SARNIS.

Fama noui mihi nil agitatis attulit alis,  
Rura mihi, riguiq; placent in vallibus amnes,  
Flamina amo syluasq; & amana vireta frequento.  
Et vitam in syluis, inter deserta ferarum  
Lustra domosq; traho, seu Sol seu Cynthia surgit.  
Urbis ad alta pedes vix toto mœnia pono  
Mense, placentq; mihi gelidi super omnia luci.  
Ista stupenda tamen miracula pande Menalca.

## MENALCAS.

Totam à principio tibi rem nunc ordine pandam,  
Quicquid & euenit nobis carissime Sarni,  
Ista tuis mancant jmis infixæ medullis.  
Rex erat Isacidiū Jesus, quo justior alter  
Nec pietate fuit, nec factis major in orbe,  
Filius ipse Dei, laturus crimina mundi  
Mortales cepit vultus qui à virgine pura,  
Tres postquam totos seris cum mensibus annos  
Complenisset ovens animis, ac fortibus ausis  
Fidus in officio, lacrumosi tortor Auerni  
Affore jam tempus metuens metamq; furori,  
Qua fera serpentis tereret pede vindice colla  
Promissum semen, fremebundo Marte furorem  
Exercens, omnes fatorum voluit habenas,  
Ne quid in expertum prius aut se linquat inausum,  
Pertentans fraudes stimulis accendit iniquis

Vera

Verporum proceres, Iudeorumq; cateruam  
In Christi funus truculenter & ultima fata,  
Nec prius absistit, saua quàm crimina lingua,  
Vulnificam spinis connexam fronde coronam  
Perpessum toties, acres & arundinis jctus  
Telluri dirum surreptum funere condat.  
Undiq; visendi studio iudaica proles  
Circumfusa ruit, certantiq; illudere capto.  
Tunc verò captis concurrunt undiq; telis,  
Tollitur in calum clamor, cunctiq; repente  
Corripere sacram effigiem, manibusq; carentis  
Ingentem quercum, decisis undiq; ramis,  
Constituunt, spinisq; ligant ingentibus illum,  
Tendebantq; manum pedibus per mutua nexis,  
Triste ministerium sequitur quos cetera pubes,  
Ausu omnes immane nefas, ausoq; potui.  
Ipse sed in ligno clamauit voce, quietum  
Accipe in hos animum genitor, mentemq; benignam,  
Non etenim sua facta vident, nec crimina noscunt.  
Iam consummatum est, tanaem proclamat, & inquit:  
O pater hanc animam, quam mitto, suscipe quaso,  
Inq; tuis vnus requiescat spiritus iste.  
Dixit, & emisit statum moribundus ad astra.  
Tunc velum templi celso de culmine scissum  
Ad basin, & (mirum) partes secessit in ambas.  
Præterea genitrix frugum mastissima tellus  
Tota tremuit, sag're fera, & mortalia corda  
Per gentes humiles strauit pavor, inde repente  
Cælum iterum atq; iterum grauiter tonat omne fragore,  
Inuolure diem nimbis, & nox humida cælum  
Abstulit, ingeminant abruptis nubibus ignes.  
Saxaq; dissiiliunt, sunt & monumenta reclusa,

*E queis multa anima viva per membra reversa  
Surgentes, sese monstrarunt civibus urbis  
Pluribus, immensum sic terrent omnia mundum.  
Nec mora, contextus tumulo descendit in orcum,  
Imperij pandens vires sine fine manentes,  
Confringit portas & duros obice postes,  
Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis  
Exijt, oppositasq; evicit gurgite moles,  
Fertur in arva furens cumulo, camposq; per omnes,  
Cum stabulis armenta trahit, victorq; velabens  
Turbidus immensas longo ruit agmine moles.  
Instat vi propria Christus, nec claustra, nec ipsi  
Custodes sufferre valent, labat arjete crebro  
Ianua, & emoti procumbunt cardine postes.  
Insonuere cava gemitumq; ded're caverna  
Eumenidum, & tacitis implent mugitibus auras,  
Fit via vi, validisq; seris consternitur aula,  
Obscuras latebras magnosq; emota tridenti  
Fundamenta quatit, totamq; a sedibus aulam  
Eruit, & Satanam Phlegraei fulminis instar  
Eruptis lacebris genua agra & fessa trahentem  
Sternit voce solo, stratum quatiente fatigat  
Calce diu, & fremitu nequicquam multa latrantem,  
Factantemq; triplex collum, spumamq; tumentem  
Fauce rejectantem, dentes & in ore resperos,  
Atq; veneni feris pingentem flatibus antrum,  
Non aliter serpens quis ei si in viscera mordax  
Condidit ferrum, movet in sua terga cerebrum,  
Dentibus & summa toties in cuspide fixis,  
Ardens, mente furens, cat inania vulnera telo,  
Et frustra morsu partem labefactat in omnem.  
Nunc torquens spiru & latis motibus orbes,*

*Squamo*



*Squamoso sinuat distortos corpore nexus:  
Nunc agrum, medio plus ventre erectus in herbas.  
Rodit, rector apparet nunc cuspidē longa,  
Torquet & in ventos linguam stridore bisulcam,  
Prata soli tingens funesta tabe veneni.*

### SARNIS.

*Proh Deus omnipotens, dulci quid voce Menalca  
Narras, inflectens blanda dulcedine sensus?*

### MENALCAS.

*Post ea tristificas nigranti nocte latebras  
Deserit, & priscas repetit gens libera sedes.  
Ibat ovans victor, fulgentibus omnia circum  
Ridebant radijs, via quò ducebat Jesum,  
Ducentem celebres dulci splendore triumphos:  
Ora triumphantis non contemplanda preibant  
Eumenides curvos ungues post terga revincti,  
Et mors compedibus constricta ac vincta cathenis.  
Ponè secuta cohors certo fuit ordine patrum,  
Primus homo prodi lacrimis videntibus, exit  
Natus adhærebat sanctus pastorq; parenti,  
Levia qui casus fraterno tempora telo,  
Dicitur innocuum primùm fuisse cruorem.  
Et qui prole fuit primis genitoribus orbis  
Afflictis, senij & curarum dulce levamen.  
Spes operosa patri, quin aelectamen alumna,  
Sapius atq; pius Domino sacra mystica fecit.  
Hunc sequitur, primam qui constituisse carinam  
Iussus, & ignotas fuit intentare procellas,  
Proleq; cum cara jactata est vectus in arca  
Cum Deus obiuret pluvijs genus omne per orbem.*

*Criminis*

Criminibus quodcumq; nefas cumulabat auitum.  
Irruit innumera gentis pater, instar arena  
Cui concreuerunt ventura in secla nepotes.  
Quin etiam patiens Abrahæ senioris alumnus,  
Sistitur ante rogos qui patris ab ense necandus,  
Et qui, cum patriam deleret sulphuris imber,  
Ducitur è Sodoma, cuius quia respicit urbem,  
Ut cippus, conjunx tunc sole repente liquauit.  
Qui capiens posita saxo ceruice soporem  
Vidit in exilio simul ire redire cateruam  
Angelicam cæli fixis in culmine scalis.  
Et castus iuuenis, somni qui enigmata suevit  
Soluisse, & tenerum tenui quem vendidit ære,  
Fusse Canope, tuam in terram. fraus inuida fratrum.  
Inde, fuit quo non patientior alter in orbe,  
Quæ spectata e genis potuit crudelia siccis  
Funera natorum, placidè & tolerare ruinam  
Ædis, & afflicti putrefactum corporis vltus,  
Spe sua damna leuans, & scommata dira marita,  
Inter honoratum lux ibat clara senatum  
Ille, tulit populo qui verba rigentia Legis  
Diuinae tabulis incisa adamante paratis,  
Quas Deus horribilis sancta sub culmine sine  
Murmuris edebat voce, & cum fulmine & igne.  
Et quoq; conspicuus tunica radiante Sacraos,  
Plurima quam gemma ornabat, radioja smaragdus,  
Berillus rutilans, ac auro diues ipsis.  
Et qui morigeram tenuit prece iordanis undam,  
Solis & auricomæ currus inhibere volantes,  
Atq; suo jussu potuit producere lucem.  
Hinc rex profusiis fratribus euharag; decorus,  
Qui paruos funda stravit fridente Gigantem.

Quig;

Quiq̄ dedit gelidis inhumata cadavera tumbū,  
Atq̄ domum rediens, ab hirundine lumine captū,  
Ecce videre nequit cœli variabilis orbes,  
Donec ei piscis felle illita lumina Natū  
Dextra serenaui, (talem servatus in usum  
Piscis erat, volucris suasu monituq̄ ministri.)  
Compluresq̄ alij, qui deo Numine tacti  
Fatidicis verbis oracula sancta dederunt.  
Præcipiti fertur cursu grandævus, in ulnis  
Infantem Christum templo qui excepit in alto,  
Quiq̄ Dei nuper, cunctis astantibus, agnum  
Monstrarat digito portantem crimina mundi,  
Et quo (teste Dei Nato) non major in orbe  
Inter mortales miseros surrexerat alter.  
Quiq̄ in transverso ligno hunc agnoscit, & orat  
In ditione sui memor ut velit esse paterna,  
Linquebant stygium Christo præcunte barathrum.  
Quosq̄ penes blandis turmas volitare videmus  
Oribus infantum, qui rapti matris ab ulnis,  
Sanguinis infecere novo cunabla liquore,  
Tunc quoq̄, sexus iter, pars non temnenda trophæi,  
Fœmineus relegit, quas inter gloria matrum  
Prima regit genitrix aciem, miserabilis eheu  
Ob notum pomi facinus, mox ordo pudicus  
Dilecta nata, neptesq̄, nurusq̄, sequuntur.  
Hinc qua venturi gregis incrementa marito  
Annofo sobolem vitæ libus edidit auris.  
Et qua non carnis, Venerisq̄, cupidine, verum  
Proles amore, torum patris intravere, putantes  
Hunc solum mundi columen restare cremati.  
Quæq̄ duas una gentes gestavit in alvo,  
Invidia ac odium quarum sub pondere ventris

C

Chscero



Gliscere paulatim capere ac sumere vires.  
 Hinc, quae pulchra minus, sed fertilitate marito  
 Obsequijsq; fuit cara, ast inuisa sorori.  
 Quaeq; imbuta fuit diuini Numinis aura  
 Virgo Tharaidasq; octo quinquennia rexit,  
 Ebrais pariens diuturna tempora pacis.  
 Prima pudicitia & quae gloria maluit atram  
 Insons ferre necem, quam ducere iupiter avum,  
 Testibus eversis quod post vincla egit honeste.  
 Assyrijs & quae castris pulcerrima noctu  
 Grande manu facinus vidua commisit, & hostis  
 Medi avulsum humeris caput, & sine nomine corpus  
 Bethuliae obsessis provolvit manibus urbis.  
 Eximia forma virtutum & dotibus amplis  
 Pradita virgo fuit comes huic, quae semine patris  
 Infacida nata genti crudele minantem  
 Exitium, iustis votis suspendit Amanum.  
 Quinetiam factu felix ter & amplius illo,  
 Quo nemo maior vacuas emissus in auras,  
 Compluresq; alia, quos percensere vetatur,  
 Ponebant hylares per regna silentia gressus.

### SARNIS.

si quid habes novitatis adhuc, mihi detege quae so,

### MENALCAS.

Terrarum lustrans flammis spacia omnia Phoebus,  
 Auroram ternam rubicunda luce vehebat,  
 Quando per ense stipata adamantina claustra sepulcri  
 Ipsa Dei Soboles propria virtute resurgens,  
 Se Dominum probat esse necis vitaeq; potentem,  
 Sic etiam interitum Ninives pronuncium amena

Exceptis

Excepit Domino sic disponente marina  
Bellua fauce fera, ventisq; abdomine clausit,  
Tertia sed postquam lux caelo dimovet umbram,  
Tunc rursus emissum ventris squaloribus udis  
Expuit incolumem in litus scopulosa balena.

Hec ubi fama fuit Solymam vulgata per urbem,  
Obstupere animi, gelidusq; per ima cucurrit  
Ossa sacerdotum tremor, & furor occupat ingens,  
Atq; novas artes proceres, nova pectore versant  
Consilia, ut signis aliquot rationis obumbrent,  
Colluvies populi ne credulitate rebellis,  
Victorem moriis regem & fateatur Jesum:  
Basti custodes corrupti pondere nummi,  
Argento famam redimunt, & futile clamant:  
O homines miseri, qua tanta insania cives?  
Creditis, hunc iterum vit ali vescier aura,  
Funere quem scimus sublatum? aut ista putatis  
Posse carere dolis? vobis sic notus Iesus?  
Nostra ubi condebat nut antia lumina somnus,  
Discipuli plures aderant, & limine rupto  
Membra reportabant furtim, caligine septi.

### SARNIS.

Quid? num vera refers? homo num tellure resurgit,  
Quem semel obruerat moles onerosa sepulchri?

### MENALCAS.

Firmiter hoc credas, nec enim tibi somnia fingo,  
Christus homo atq; Deus rupta tellure resurgit,  
Et sese immiscet vivis corpusq; resumit.

### SARNIS.

Mira canis, possum ut vix credere care Menalca

C 2

M. B.



## MENALCAS.

*Mira cano, sed vera cano, verissima narro,  
Non tamen ambigua menti dubitabile restet.  
Talia namq; prius toties cecinere Propheta,  
Afflata sacra divini Numinis aura.  
Hac sunt Sarni modo tibi que narranda putavi,  
Sensibus hac animi signes mancantq; reposta.*

## SARNIS.

*Fortunate senex ergo te postera dicent  
Secula felicem, vasti dum machina mundi  
Stabit, & effundet Phœbe sua lumina nocti,  
Quod Deus ipse tibi, rerum mirabilis autor,  
Tanta revelavit mysteria, tanta retexit.  
Gaudebunt sylva posthac, & mollia prata.  
Grata ferent Christo nemorosa encomia valles.  
Nocte dieq; canam, noscant mea carmina sylva,  
Aureus Eois seu Sol consurget ab undis,  
Incipiet sero val vespere cedere vultus,  
Hac de jucundo Christi miracula triumpho  
Ipse canam, numeris percussa remurmuret Echo,  
Carmen & aëri raptent ad sidera venti.  
Sed tibi nunc grates solvo divine Menalca,  
Quod nobis ultrò tam gaudia lata revelas,  
Iam tecum poterò tempus gaudere per omne,  
Montibus & sylvis hac dicam carmine facta.  
Tuq; age, si quid habes, memora quoq; Tityre nobis.*

## TITYRUS.

*Qua sermone tibi concinno cuncta Menalca  
Narravis, sunt illa mihi comperta videnti.  
Atq; horum pars una sui, dulcissime Sarni.*

*Namq;*

Namq; Dei Gnatus terrarum redditus orbi,  
(Amplius ut dubijs animis dubitabile nil sit)  
Almus ut Oceani perfusus Lacifer undis,  
Extulit os sacrum caelo, tenebrasq; fugavit.  
Magdalu agratais, olitoris imagine falsi  
Lato sub fundo, cupidis occurrit ocellis,  
Cui linguam solito ritu ut faucesq; resolvit,  
Discedit velut umbra tenax, & aeternamq; relinquit.  
Tegmina sumabant, suadebant astra saporem,  
Discipulos in tecta metu frigente coactos  
Ostia transgrediens claustro munita salutis  
Christus, & horrentes valde nimiumq; trementes  
Tollere corde metum iussit, captavit & escas,  
Ne nocturna putent socij se cernere spectra.  
Hinc duo cum priscam peterent Emauna sodales,  
Dira sui Regis plangentes gutture fata,  
Mox comitem ignotus Christus se adiungit, & ambos.  
Lenit solando, simplex & ut advena causas  
Quaerit, cur tantus maror praecordia rodas.  
Illi cum lacrumis gemebundis ordine pandunt  
Singula, quod letho dederit manus effera summum  
Vatem, non dignum mortis vel labe, vel ullo  
Crimine: quod socios spes irrita luserit agros.  
Nec mora cacorum culta lingua arte retundit  
Stultitiam praesens Deus, & pavit anribus illis  
Prisca aperit talem monumenta manantia casum.  
Non tamen agnovere ipsum, dum vespere sumta  
Proritu veterum Cerealia munera fregit.  
Tunc cum praecipitans extrema crepuscula vesper,  
Cogeret in nocturna pecus compellere septa,  
Praterijt Christus, Solymasq; cucurrit ad arces,  
Moenia pertingens nitido sublimia luxu.

C 3

ME



## MENALCAS.

*Hæc rogo Sarni boni modo consule, catera dicam,  
Cras ubi Sol nitidis consurget Eous ab undis.  
Ecce vocat serus sueta ad mulctralia vesper,  
Tityre sume pedum, numeres armenta gregeſq̃  
Phæbe jam surgit cornu pluuiialis, eamus.*

## SARNIS.

*Eia via mihi nunc monstretis semitam amici,  
Mænia qua Solymes cito me perducatur ad urbem,  
Victoris videam ut radiantia lumina Christi  
Atq̃ ipsi æterna dicam præconia laudis.  
Signa pedum procul à nobis ne Tityre flectas.  
Huc adsis, teq̃ aspectum ne subtrahes nostro.*

## TITYRVS.

*Perge, sequor, nec enim tecum comes ire recuso.*

## DIXI.



DN.



HUMANISS:  
DN. BARTHOLOMÆO

BYLOVIO *Artium Baccalaureo.*

BARTHOLOMÆVS BILOVIVS

per anagrammatif: elifā aspirat:

*Libo Musis labore: at vivo*

**S**ic est: omnia Dī sua  
Vendunt terrigenis dona laboribus:  
Huic sano Sapientium  
Pares consilio, Dulcis amicule:  
**Libas** carmine feruido  
Musis: nec simulat lingua silentium:  
**Sacris** adsidue tuis  
Diuum concelebrans facta laboribus:  
**En** cassus tuus haud labor,  
Nec frustra infinuas corda caloribus:  
**Nam** Divi tibi sedulis  
Spondent pro meritis dona vigentia:  
**Vivis** carmine suaviter,  
Vives temporibus jugiter omnibus:  
**Sic** nunquam sua laus abest  
Virtuti, studio, & carminis aliti,  
**Nec** deeris sapiens reget  
Donec IOVA DEVS lucida sidera:  
**Pergas** acta laboribus  
Sacratif superum carmine condere:  
**Indelebile** sic magis  
Nomen concilient Dī tibi cælites.

*Matthæus Rudingerus  
Fraustadiensis.*



DM. BARTHOLOMAEO

BARTHOLOMAEO

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...


Albrecht Raderger

Frankfurt





VD16  
PICA



ILLVSTRISSIMO  
 ET INCLYTO PRINCIPI,  
 AC DOMINO, DN. IOHANNI  
 Georgio, Sacri Romani imperij Archicamerario  
 & Electori, Marchioni Brandenburgensi, Prussiae,  
 Sedinensium Pomeranorum, Cassubiorum,  
 Vandalorum, & Crosnae Elystiorum  
 Ducis, Burggraui Norico, &  
 Rugiae Principi: Domi-  
 no suo clementis-  
 simo.

ECLOGA  
 DE GLORIOSO CHRISTI RE-  
 SVRGENTIS TRIUMPHO.

PVBLICE  
 in Illustri Marchionum Academia 13. Ca-  
 lend. Mayj anni currentis 95.

decantata

dem muessen leben/ vnd niemand folgen wollen. Derhalten genuss  
 sich die frasse ober. Deuschland nahe ist/ sie geschehe nun durch die Zure  
 noch ander dize

